



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

IV. Capitula addita ad legem Longobardorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

cessitate, & Comes placitum habuerit, ille quoque alius ad suam probandam libertatem paratus fuerit, tunc Comes ipsam causam finiat, veluti si ipse qui querit praesens fuisset, & ultra ille qui quaerit, facundiam dicendi de servitio illius non habeat, & insuper bannum nostrum illi componat ac iustitiam pleniter faciat. Et sunt aliqui dum aliquos in servitio mallant, & ipsi de sua libertate probanda dant vudiam, in tantum eos mutando per placita lacerant ut vix per suam paupertatem evadere possint. Vnde tertium capitulum placuit addere.

## XXXIII.

Ibid. c. 3 Si verò alium ad servitium aliquis malaverit, & ille qui mallatus fuerit, ad probandam libertatem vudiam dederit, ju-

bemus ut supra ut ad primum vel ad secundum vel ad tertium placitum causam deliberet. Inter placitum & placum sint dies quindecim. Tertium verò, quando Comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint dies quindecim. Si autem in alium est, sint dies viginti. Et si in his tribus placitis ipse qui querit venire contempserit, anteposito quod superius anteposuimus, si est in servitio Regis vel inevitabili necessitate, & Comes placitum habuerit, ille autem alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc Comes ipsos testes recipiat, & causam diffiniat, veluti si ipse qui querit praesens fuisset, & ultra ille qui quaerit, tacitus de servitio illius permaneat.

*Defunt nonnulla.*

## TITVLVS IV.

SIVE

## CAPITVLA ADDITA AD LEGEM LONGOBARDORVM.

Hæc sunt capitula quæ Domnus Hlotharius Rex instituere iussit.

## CAP. I.

Lib. 1. leg. Longob. tit. 1. c. 46.

DE Ecclesiis emendandis volumus ut ita observent sicut in Capitulare nostro continetur quod ad Olonam fecimus. Et si in uno loco plures Ecclesie sint quam necesse sit, destruantur. Quod si forte in aliquo loco sit Ecclesia constituta, quæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus ut secundum iussionem Domni ac genitoris nostri unus mansus cum duodecim bunuariis de terra arabili ibi detur, & mancipia duo à liberis hominibus qui in eadem Ecclesia officium debent audire, ut sacerdos ibi possit esse & divinus cultus fieri. Quod si hoc populus facere noluerit, destruat.

## I I.

Lib. 1. tit. 40. c. 6.

Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum fuisse, si Presbyter fuerit in triplo componatur, duas partes eidem Presbytero, tertia pro fredo ad Ecclesiam, & insuper bannum noster. Similiter de Diacono jux-

ta compositionem ejus in triplo & bannum nostrum componatur. De Subdiaconis similiter secundum suam compositionem in triplo persolvatur, & bannum nostrum componat. Similiter & de ietibus sine sanguinis effusione, de uniuscujusque ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplo persolvatur, insuper & bannum nostrum. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitio eidem Ecclesie usque dum totum debitum persolvat.

## I I I.

Statuimus de Presbyteris & Diaconibus ecclesiasticis honore privatis, ut redigantur sub penitentia, sicut canones præcipiunt. Et si habet Episcopus in sua parochia suum ministerium, ibi mittitur. Quod si ministerium non habuerit, tunc præcipiat Episcopus ut illi tales habeant in illa plebe unde sunt, eligant sibi patronum qui de ipsis rebus victum & vestimentum eis ministret. Ipsi tamen nullam habeant li-

centiam vagandi aut discurrendi, sive ad placita, sive ad palatium, sive ad ipsas res quas proprias antè fecerint sine licentia sui Episcopi. Sed in eodem loco ubi, sicut constitutum est, suam penitentiam jugiter agant. Quòd si hoc non observaverint, primùm verberibus coërceantur. Quòd si nec sic se castigaverint, in tali loco retrudantur ubi velut sub penitentia vivant.

## I V.

Lib. 1. tit.  
31. c. 11.

Vt nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere. Nec placitum Comes habeat nisi jejunus.

## V.

Ibid. tit.  
31. c. 13.

De reclamatoribus vel causidicis qui nec iudicium Scabinorum acquiescere nec blasphemare volunt antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia recludentur donec unum ex duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re reclamaverint, & litteras detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia & cum ipsi litteris pariter ad palatium nostrum remittantur, ut ibi discutiantur sicut dignum est.

## V I.

Lib. 1. tit.  
37. c. 11.

De conspirationibus considerandum est, quicumque facere presumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmaverint, triplici ratione iudicentur. Primò, ut ubicunque aliquod malum per hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur, adjuutores verò eorum singuli alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem prædicant. Vbi verò nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos suos sibi vicissim detendant. Si verò per dextras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut jurent cum idoneis juratoribus hoc pro malo non fecisse; aut si facere non potuerint, suam legem componant. Si verò servi sunt, flagellentur, ut de cetero in regno nostro nulla hujusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento.

## V I I.

Lib. 1. tit.  
44. c. 4.

De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Idem de liberis hominibus diximus, ne fortè parentes eorum contra justitiam fiant exheredati, & regale obsequium minuat, & ipsi heredes propter

indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur.

## V I I I.

Si quis litteras nostras dispexerit, id est, tractoriam quæ propter Missos recipientes dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco ubi prædictos Missos suscipere debuit tamdiu resideat & de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui verò epistolam nostram quocunque modo dispexerit, jussu nostro ad palatium veniat, & juxta voluntatem nostram congruam stultitiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber vel ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem, qualemcunque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palum vapuletur, & caput ejus tondeatur.

## I X.

Decernimus ut si quis aliter testes habere non poterit, volumus ut per Comitis iussionem quos in suo testimonio necessarios quisque habuerit, veritatem probaturi in publico conventu adducantur, ut per ipsos rei veritas cum juramento valeat inquiri. Quòd si de duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quòd nullus eorum possit habere testes, antequam jurent fiat inquisitio facta. Quòd si omnes ad unam partem dixerint testimonium, jurent ut verum dixissent testimonium. Quòd si dissenserint, & quedam pars testimonium uni præbuerit testimonium, & alia alteri, tunc interrogentur si audeant illorum testimonium per pugnam approbare. Quòd si nulla pars alteri cesserit, jurent, & per pugnam illorum probetur testimonium. Quòd si una pars se subtraxerit, tunc pars illa quæ ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

## X.

Quòd per triginta annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus aut mater ejus ancilla fuerit. Similiter & de aldionibus.

## X I.

Quòd nullus Cancellarius pro nullo iudicato aut scripto aliquid amplius accipere audeat nisi dimidiam libram argenti de majoribus scriptis. De minoribus autem infra ipsam dimidiam libram quantum res exposcit & iudicibus rectum videtur. De orphanis autem vel ceteris pauperibus, qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis sit ut nequaquam inde aliquid accipiat. Notarij autem hoc jurare

X ij

debent, quòd nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto aliquod scriptum faciant, nec de uno comitatu in alio nisi per licentiam illius Comitis in cuius comitatu stare debent. Quòd si Notarius aliter fecerit, quod fecerit appareat inane & vacuum. Si verò necessitas in itinere aliquem compellaverit, aut infirmitas gravis, secundum Capitularem genitoris nostri faciant.

## XII.

Lib. 1. tit. 37.

Placuit nobis ut hæc capitula, quæ excerptissimum de capitulis bonæ memoriæ avi nostri Karoli ac Domni genitoris Hludovici Imperatoris, ab omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris fidelibus in regno Italiæ consistentibus pro lege teneantur & conserventur. Et quicumque eorum capitulorum contemptor extiterit, sexaginta solidos componat, sicut in capitulis prædicti Domni avi nostri Karoli continetur.

## XIII.

Placuit nobis de liberis feminis quæ sibi servos copulant, sicut ad nostram regiam potestatem pertineant, ita volumus ut

deinceps ad ipsos Longobardos pertineant ipsæ cum filiis suis & filiabus eorum.

## XIV.

Statutum est ut si qua femina libera cum servo alterius se copulaverit, & parentes ejus eam anni spatio ad vindictam non dederint, volumus ut curtis regia adquirat. Si ipsa femina cum ipso servo annum & diem steterit, habeat eam cuius serva est, & filij qui ex ea nati fuerint sint servi sicut pater eorum.

## XV.

Statutum est ut si quis liber homo uxorem habens liberam propter aliquod crimen aut debitum servitium alteri se subdiderit, eademque conjux cum ipso manere noluerit, ipsorum procreatio, quæ de tali conjugio sit, libertatis statum non amittat. Si verò ea defuncta, secunda uxor, & tamen libera, tali se sciens junxerit conjugio, liberi eorum servituti subdantur.

## XVI.

Si quis percusserit Presbyterum, id est, sacerdotem, componat auri optimi libras decem.

## TITVLVS V.

## S I V E

## CAPITVLA EXCERPTA EX LEGE LONGOBARDORVM.

## CAP. I.

Lib. 1. tit. 9. c. 15. & seq.

DE homicidiis in Ecclesiis vel in atrii earum commissis sic observetur & teneatur sicut in Capitulari priori constitutum est. Si quis ex levi causa aut sine causa hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat. Si verò foris rixati fuerint, & unus alterum in Ecclesia fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim juratoribus legitimis per sacramentum affirmet quòd se defendendo eum interfecerit. Et si ipse auctor commotæ inter eos rixæ extiterit, leudum interfecti componat, & insuper bannum nostrum solvere cogatur, & publicam agat pœnitentiam. Si autem non ille qui alterum interfecit, sed is qui interfectus est, eandem rixam commoverit, absque compositione jaceat, & is qui eum interfecit, secundum cano-

num iudicium publicam agat pœnitentiam. Si cuiuslibet servus proprius hoc commiserit, iudicio aquæ ferventis examinetur utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Si autem exusta non fuerit, publica pœnitentia multetur, nisi fortè ipse auctor commotæ rixæ inter eos inventus fuerit. Tunc enim dominus ejus, juxta quod vvidrigild illius est, ad Ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem Ecclesiæ tradat. De ecclesiastico & fiscalino seu beneficiario servo volumus ut pro una vice vvidrigild ejus pro eo componatur, altera verò vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis qui propter tale facinus ad mortem fuerit iudicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio ipsius Ecclesiæ, cuius portæ reliquiis sanctorum consecratae sunt, hujusmodi homicidium perpetratae sunt, hujusmodi homicidium perpetratae sunt, hujusmodi homicidium perpetratae sunt.